



Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. LII. Probationis, in cuius defectu an & cui deferri possit Juramentum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72304](#)

intra fines alterius Ecclesiae Parochialis, ex
hujus preventibus, ædificata, vel dotata
fuit; nam hoc casu jus præsentandi Paro-
chum novæ Ecclesiae Parochialis competit
Parochio matricis Ecclesiae

per textum c. audientiam 3. de Eccles. &
dif.

ibi, In ea Sacerdotem ad præsentationem majo-
ris Ecclesia instituas. Videtur autem esse pa-
ritas inter hunc, & in præsenti controver-
sum casum. Neque obest, quod Ecclesiae
haec filiales jam antehac sunt constructæ; non
enim ex constructione Ecclesia tantum, sed
etiam ex dotatione Jus Patronatus acquiri-
tur. Cum ergo in casu substrato dotem,
seu sustentationem congruam pro quatuor
illis Vicariis subministret Ecclesia matrix,
hujus rectori jus eos præsentandi negari
non potest.

Aliud dicendum foret, si sumptus ad Vi-
carios istos alendos suggestisset alterius,
vel aliorum liberalitas; tunc enim Parochus

matricis Ecclesiae jus præsentandi Vicarios
tales non posset prætendere: quod iterum
probatur à paritate cum nova Parochiali;
intra fines alterius Parochialis erectâ;
nam si ad hanc novam confruendam, vel
dotandam nihil Ecclesia Parochialis anti-
qua contulit, Jus Patronatus non huic,
sed illi, vel illis tribuendum est, qui eam
fundarunt, construxerunt, vel dotâ-
runt.

Abb. inc. ad audientiam cit. n. 9. Fagn.
ibid. n. 35. Pirh. ad tit. de Ecc. adif. n.
12. Wiestner ibid. n. 19. Reiffenstuel
dict. tit. n. 17. & teste Fagn. l. cit. re-
spondit S. Congreg. Concil. contra
Innoc. inc. cum Venerabilis, de except. &
Joann. Andr. in c. 1. de Capell. Mo-
nach. in 6.

Ratio eit, quia Jus Patronatus ex tribus
solummodo causis, scilicet fundatione,
constructione, dotatione acquiritur.

CONSILII LII.

In causa imputatæ, non autem probatæ im- prægnationis.

S U M M A R I U M .

- 1. seqq. Facti species.
 - 6. Indicia, ex quibus probantur delicta car-
nis.
 - 7. Conjectura haec debent esse legis, & plene
probata.
 - 8. Considerandum est ex circumstantiis, an con-
jectura convincant.
 - 9. 10. Applicantur dicta ad præsentem hypo-
thesin.
 - 11. Si quis fateatur delictum fornicationis, negat
- tamen se patrem proli esse, puella deferri po-
test juramentum purgationis de fornicatione
cum alio non commissa.
- 12. 13. Si actor nihil probat, neutrī parti de-
ferri potest juramentum suppletorium.
 - 14. Potest juramentum purgatorium deferri ac-
cuso, ut magis purgetur ab omni suspicione
criminis.
 - 15. Deciso controversia.

FACTI SPECIES.

Rufina, soluta, sed famæ non ad-
modum bonæ fæ-
mina, utpote,
quæ jam antehac
de viro conjugato à se seducto, &
adulterio cum
hoc comisso con-
vieta, ex causa
ista ad triennium urbe suâ patriâ Magistra-
tus imperio exesse jussa est, diffamat Le-
ontium juvenem, opificio pistorem, de
comissa cum ipsa fornicatione, seque ab
isto imprægnatam vulgavit. Post aliquod
tamen tempus vel pœnitens injustæ diffa-

mationis, à se factæ, vel pœnitentiam si-
mulans, accessit matrem Leontii, fassaque
eidem est, se contra veritatem rei delictum
hoc filio imputasse, ipsumque reum culpæ
istius non esse. Hanc dein confessionem
suam coram duobus viris honestis, fidèque
dignis, quos eadem mater ad meliorem in-
nocentiam filii, & injustæ diffamationis pro-
bationem ad se vocavit, repetiit, addens,
Leontium quidem cum ipsa jocatum fuisse.
Habe mit ihr umgerissen, nihil autem malum
cum eadem perpetrâsse. In hujus duplicitis
assertionis confirmationem ipsa Leontium,
ipiusque matrem, coram iisdem duobus
testibus, porrectâ manu, veniam petiit,
& summopere, ac per omnia rogavit, ne
contra ipsam coram judice querelam insti-
tuerent.

CON.

2. Confirmavit hoc ipsum Rufina die sequenti uni ex dictis duobus testibus, cùm iste, tendens in aliam vicinam civitatem, obviam sibi eandem habuit; cùm enim istam ille interrogasset, an persistaret in hesterna confessione, omnino reposuit, addens, se quidem à duodecim, vel tredecim hebdomadis uterum ferre, Leontium verò extra omnem circa hoc culpam esse, confessa hoc ipso, interea se rem cum alio habuisse: quod ipsum in reditu hortanti, ut, quod verum est, fateretur, procuraturum se, ut, si Leontius reus delicti esset, res cum Magistratu, & consanguineis sine strepitu componatur, iterum affirmavit. Posthac mater Leontii suos amicorum, ut hunc suum filium infamia liberaret, cum altero predictorum tertium accessit consulem civitatis, & contra Rufinam querelam proposuit, qui proinde eandem Rufinam ad se citari jussit. Cùm ista inveniri non posset, matrem consul cum teste dimisit, exspectareque jussit, donec copia Rufinæ fieret.

3. Advertisse, quid ageretur, videtur Rufina; nam die posterā ipsamet Magistratum accessit, & stylum vertens, contra hesternam, & anteriorem, eamque repetitam confessionem, Leontium de imprægnatione sui ab ipso facta accusavit. Jussa proin mater Leontii eti hunc suum filium judicio sistere: quod ipsa etiam fecit. Coram Magistratu comparens Leontius innocentem id dixit ex iterata confessione astrictis, facta coram memoratis duobus testibus, quos rogavit audiri. Denegatum autem ipsi est examen testimoniū, ad quos provocavit, & ipse Leontius, nequicquam innocentiam suam obtendens, iussus fuit abduci in carcerem. Obedivit quidem ille, sed cum protestatione adversus expensas, quod, ordine juris neglecto, testes ad ipsius præces auditio non fuerint.

4. Intra decendum continuata sua captivitatis tribus vicibus examini fuit subjectus Leontius; semper autem provocavit ad innocentiam suam. Tandem, cùm urgenter à judice, sub comminatione, se Rufinam ad juramentum admissurum, timens eam pejeraturam, cum protestatione adversus delationem hancjuramenti, ut modestiā denique se liberaret, reposuit, se, licet innocentem se sciat, casu, quo Rufina circa festum S. Michaëlis paritura esset, velle mulctam sibi imponendam persolvere. Quo facto, cùm etiam unus ex sacerdoti memoratis testibus, qui Rufinam in via obviam habuit, juramento corporali confirmasset, ex hujus ore se audivisse, quod falsa sibi fuerit, Leontium innocentem à delicto hoc esse, séque à duodecim, vel tredecim duntaxat hebdomadis uterum ferre (quod tempus non concordabat cum illo, quo ipsa dixit, ab eo se imprægnam tam esse) ipse Leontius, & quidem si-

ne imposta mulcta, dimissus fuit è carcere.

Perstet Rufina etiam post puerperium in hac sua incusione, & licet institisset apud eam alia quædam persona, ut verum prolixi parentem proderet, absque dato huic reponso, alterā post partum die obstetricem ad senatum misit, pérque eam indicari fecit, quod Leontius sit prolixi pater. Transactis ergo quatuordecim diebus, postquam è puerperio Rufina prodit, iterum à Magistratu citatur Leontius, eique, antequam audiatur, indicatur, inquirendum nunc esse de tempore, an scilicet assertio Rufinæ congruat, & tum pronuntiatum iri sententiam. Et verò hæc tandem prodit contra Leontium, pronuntiatumque est, ipsum prolixi parentem esse, nullā tamen ipsi indictā mulctā. Hac specie facti supposita,

QUÆRITUR I.

An causa hæc per hactenus enarrata sit sufficienter instruta ad ferendam sententiam contra Leontium?

VIdetur sufficienter fuisse instructa; nam fornicatio, & alia hujusmodi delicta Ratione carnis, cùm sint occulta, & sine testibus dubitata committi soleant, aliter probari non possunt, nisi per indicia, & ex actibus propinquis: quales sunt in modo si reperiatur aliquis solus cum sola, nudus cum nuda, osculans, vel tangens illam.

Bartol. ad l. capite quinto 25. n. 2. ¶ nota ergo. ff. ad Leg. Jul. de Adulter. Mascard. de probat. concl. 811. n. 5.

Quod præsertim procedit 2. si inveniantur in loco suspecto, & ipsi sint personæ suspectæ.

c. literis 12. & c. seq. de præsumpt. Abb. ibid. n. 4. Specul. in §. 2. ¶ violenta de probat. & præsumpt. Mascard. concl. 811. cit. n. 7.

Et hinc 3. ex solitudine maris, & scēnæ, vel si visi fuerint foli vagantes per nemora, aut existentes in locis à conspectu hominum remotis, vel secretis, præsumitur copula.

Imol. in c. literis cit. Joann. Crot. conf. 413. n. 27. & seqq. Gig. conf. 29. n. 13. ¶ an improbanda Mascard. l. cit. n. 11.

Imo 4. ad præsumptivam probationem sufficiunt exordia indiciorum.

Abb. in c. prætero n. 2. & 3. de testib. Felin. ibid. n. 2. & seqq. Joan. Crot. conf. 413. cit. n. 15. ¶ & primò præmitto. vol. 3. Socin. conf. 32. n. 16. Mascard. l. cit. n. 6.

Et propterea 5. ad delictum hujusmodi probandum sufficit, quod mulier reperta sit ali-

alicubi jacens cum viro aliquo, quamvis nihil aliud faciant: quod facit textus

lib. 1. feud. tit. 5. & ibi Gloss. V. luserit. item Gloss. in l. Caii Cassii V. cavit. ff. de fideicommiss. libert. Mafcard. l. cit. n. 9.

præterim 6. si reperiantur extra conspectum aliorum hominum invicem confabulari, & amplecti; nam per confabulationem, & amplexus præsumitur eam famam corruptam esse.

Gloss. in can. nec aliqua 4. V. concubitus. can. 27. q. 1. Mafcard. l. cit. n. 8.

Habetur autem ex confessione tum Leoniti, tum Rufinae, quod solus cum sola jocatus fuerit extra conspectum aliorum hominum: ut proin meritò præsumi possit, quod ille cum ista rem habuerit, præterim cum postea notata fuerit uterum ferre, neque appearat, cui alteri imprægnatio imputari possit, & ipsa etiam Rufina Leontium dicat patrem prolis ex se genitæ esse.

Verum, licet in hujusmodi delictis oculis probatio præsumptiva, & quæ ex conjecturis capit, sufficiat conjectura tamē istæ debent esse legis, & non hominis, ut in probanda consanguinitate docuit

Bald. in c. per tuas. col. ult. in fin. de probat. Mafcard. concl. 788. de probat.

Item debent esse plenè, & concludenter probatae.

Grat. conf. 62. n. 9. col. 2. Mafcard. concl. 788. cit. n. 12.

alias sicut, qui dicit, filium se alicujus esse, & hoc non plenè probat, in judicio debet succumbere per ea, quæ cum communī docent

Angel. in l. liberorum circa princ. ff. de his, qui notant. infam. Alciat. tract de præsumpt. Reg. 1. præsumpt. 49. n. 2. Abb.

in c. per venit. & ibi Dec. n. 4. qui fil. legit. & idem Dec. in l. emancipati. n. 3.

C. de Collat. item conf. 321. n. 2. Bald. conf. 188. vol. 3. Ruini. conf. 57. n. 4.

cum seqq. Ceph. conf. 82. n. 10. cum seqq. vol. 1. Rol. à Vall. conf. 32. n. 1. vol. 4.

Bursat. conf. 88. n. 5. Marian. Socin. conf. 86. n. 34. vol. 1. Covar. p. 2.

c. 8. §. 3. n. 1. Mafcard. de probat. concl. 787. n. 1.

ita etiam succumbere debet foemina, quæ dicit, se extra matrimonium ex aliquo filium aliquem genuisse, & certum aliquem virum, vel juvenem prolis ex se genitæ patrem esse indigit, nisi conjecturas, ex quibus evincere istud contendit, plenè, & concludenter probet, ex quæ conjecturæ tales sint, quæ elidi ab adversa parte non possint.

Debet ergo considerari omnes circumstantiæ, præterim personæ, temporis, loci &c. viderique an conjecturæ tales sint, quæ delictum tale convincant. Et imo

R. P. Schmalzgrueber Consilia

quidem, an, qui accusatur esse pater prolis, jam aliquando in simili delicto fuerit reprehensus; cum enim præsumptio excludens peccatum vincat præsumptionem, quæ illud supponit, is, qui peccasse cum alia dicitur, si alias fuit bona vita, & fama, nec unquam de hoc delicti generi suspectus, nisi conjectura in contrarium sint urgentissimæ, reus hujus delicti dici non potest. Similiter 2. per ea, quæ docent

Abb. in c. per tuas. de probat. Alciat. de præsumpt. Reg. 3. præsumpt. 38. n. 5. Mafcard. concl. 789. n. 34.

Præsumptio hujus delicti cessat, si mulier eo tempore, quo verisimiliter potuit effici gravida, absens fuit ab eo, quem prolis sua patrem esse affirmat. Item 3. proles non præsumitur esse tua, etiamsi illa mulier, quam tu extra domum propriam retines, dicattuam esse.

Bald. conf. 437. n. 8. vol. 5. Mafcard. concl. 789. cit. n. 31.

quia, sicut potest esse ex te, ita etiam ex alio, & sic patrem certum non habet. 4. Multo minus præsumitur aliquis esse filius illius, qui mulierem matrem filii non habebat pro suo libitu.

Alciat. reg. 3. cit. præsumpt. 37. n. 3.

Dec. in c. per tuas cit. n. 1. Alex. conf. 158. n. 2. vol. 5. Mafcard. l. cit. n. 32.

Imo 5. nec filius alicujus esse censetur, qui natus est ex muliere, in domo retentâ, si non probatur is, qui pater ejus dicitur, habuisse rem cum dicta muliere.

Dec. in l. filium ff. qui sui, vel alien. jur.

Alciat. Reg. 3. cit. præsumpt. 38. n. 5. Mafcard. l. cit.

Quæ omnia procedunt præcipue, si agatur de eo, qui alias est bona vita, & fama, & contra quem nulla prudens suspicio est de commissio tali delicto. Proinde judici, antequam de imprægnatione accusatum condemnnet, illique tanquam patri problem adjudicet, probè notandum est illud saluberrimum dictum, quod pronuntiavit

Sabell. lib. 10. c. 2. allegatus per Mafcard. concl. 811. n. 15.

ubi ait, Titius consilium, aquo rem deliberationem, certius judicium fore bene præsumere de iis, quos nunquam in criminis novimus reprehensiones.

In casu substrato imprimis Leontius, ut fertur, nunquam fuit suspectus circa hoc rationes vitium lubricum, & multo minus de nimia decidunt familiaritate cum Rufina. 2. Solum fa-

tetur, quod aliquando jocatus fuerit cum illa, etiam hoc fortasse non fastidius, si gravius cum illa delinquisset. 3. Hoc ipsum, & non plus Rufina primum coram matre Leontii, dein coram duobus testibus, denique coram uno istorum testium fastidius est, aperte dicens, ipsum præter jactio-

(Ggg)

cationem, daß er mit ihr habe umgerissen, nihil mali cum ipsa perpetrasse. Unde 4. dum postea contra hanc suam confessio- nem eundem accusavit de imprægnatione sui ab ipso facta, eidem, tanquam scemi- na suspectæ fidei, & alias non bona fama credi non debuit: vel saltem 5. ante quam contra ipsum ferretur sententia, audiiri debuissent Testes idem, qui potu- sent attestari, quod ipsa Ruhna Leontium co- ram istius matre, & dictis testibus innocen- tem repetitò dixerit. Imò 6. debuisset etiam ipse prius audiiri, an non aliquid de- fensionis pro se haberet; nam ordo juris utrumque exigisset, scilicet audiiri tam te- stes illos duos, quam ipsum Leontium, præsertim postquam sine ulla trepidatione (quæ plerumque in iis, qui interrogati de delicto, de quo accusantur, rei illius sunt, præsertim si juvenes sint, à judice notari potest) semper persistit in protesta- tione de non commissione à se hoc delicto. Certe 7. si idem Leontius fuisset reper- tus reus, non sine mulctâ consuetâ pecuniariâ fuisset dimissus ex carcere, vel tal- tem istam imposuisset Magistratus, quan- don causam hanc per Sententiam ille deci- dit.

IO.

Habet ergo Leontius præsumptionem in- nocentiae pro se, & hæc præsumptio elidere debuit præsumptionem delicti con- traria, præsertim cùm juxta num. 8. ista elidat etiam conjecturas multò graviore. Neque obstat, quod idem Leontius juxta dicta num. 4. seipsum obtulerit ad solven- dam mulctam sibi imponendam pro casu, quo Rufina paritura esset circa Festum S. Michaëlis; nam hoc dixit cum protestatio- ne, quod sciat innocentem se esse, & quod tempus partus cum tempore imputa- ti delicti concordare non possit: adeo- que hoc ejus dictum pro confessione pro- pria haberi non potest, præsertim cùm il- le hoc dixerit post minas judicis de jura- mento imponendo Rufinæ, quam time- re merito potuit pejeraturam. Proinde, cùm jocationes istæ stare possint, & sèp- simè etiam stent sine ipso actuali delicto, ut experientia communis habet, præ- sumptio, quæ ex istis capit, nondum sufficit ad tententiam contra Leontium ritè ferendam. Dicendum ergo, ad hanc ferendam nondum sufficie- ter instructam, sed exspectandam fuisse, an non aliquid defensionis pro Leontio erui posset ex depositione testium, quos ipse audiiri volait, quique contra juris ordi- nem auditu non sunt. Dicendum ergo, sen- tentiam istam laborare vitio nullitatis; de- buisset enim Judex per can. judicantem 1. caus. 30. q. 5.

priusquam ferret sententiam, cuncta rimari, & ordinem rerum plena inquisitione discutere, quo usque ad veritatem pertingat. Et hinc oportuisset, ut ibidem dicitur, respondendi,

objiciendique præbere patientiam, ut ibi alio ambarum partium illuminata sit pleniter: nec prius sententiâ suâ obviare, nisi quando ipsi, jam peractis omnibus, nihil habeant in quasio- ne, quod proponant. Atque adèò etiam ipse ex officio frequenter interrogare debet, ne aliiquid prætermissum forte remaneat, quod an- necti conveniat juxta eundem textum. Mu- totò igitur magis debuisset audire testes, quos Leontius audiiri voluit, ipsumque Leontium, priusquam ferret sententiam.

QUÆSTIO II.

Utrum ad complendam proba- tionem juramentum deferri

Rufina possit?

VIdetur juramentum purgationis Rufinæ II. deferri posse. Nam, cùm Rufina pro- Ratio lem pepererit, & hanc Leontius dicat non esse tuam, hoc ipso iste illam de fornicatione, cum alio commissa, suspectam red- dit: quo casu, ut cum communi post Fon- tanell. Carpzov. Mævium notat

König ad tit. de adultr. & stupr. n. 30. puellæ stupratæ juramentum purgationis iudicatur, ut se liberet à suspicione forni- cationis, commissæ cum alio, certumque infantis patrem indicet, antequam alimen- torum onus stupratori imponatur. Ve- rûm hoc solum procedit in casu, quando accusatus de stupro, vel fornicatione, vel fassus, vel per legitima indicia convictus est de delicto à se commisso, & solum ne- gat, se patrem prolis esse, quod dicat, vel etiam probationes afferat, aëtricem suam etiam cum alio fornicatam esse, cui tanquam patri proles adscribi poslit. In prælenti casu Leontius neque facetur, ne- que probatus per dicta quæst. prac. fuit, quod reipla cum Rufina deliquerit. Igitur jura- mentum purgationis hoc casu respectu Ru- finæ locum non habet.

Sed neque juramentum suppletorium ei- dem Rufinæ deferri potest. Nam imò 12. dicuntur Rufina contra Leontium adhuc nihil pro- qualia. bavit ex dictis quæst. prac. Proinde obtine- re hoc casu debet regula, juxta quam, si Actor in probatione omnino defecit, reus, et si nihil præstiterit, absolvit, etiam sine jura- mento, debet, ut notat

Gloss. in l. 3. c. de reb. credit. in notat. & colligitur aperte ex c. un. ut Eccl. Benef. fin. dimin. confer. & c. fin. de jure jur.

Ratio est, quia Actor, accedens ad judi- cium propriis, & non è domo rei petitis pro- bationibus hunc debet convincere: ideo- que absurdum est, cùm aliam probatio- nem desperaverit, tum demum ad reli- gionem juramenti convolare: quæ ratio probat, in tali casu reo, nondum con- victo, neque semiplenè probato ut tali, juia-

juramentum deferri non posse, sed, ut dictum est, etiam sine hoc, absolvendum esse, nisi pro Actore saltem præsumptio stet. Quia autem

13. 2. Pro Rufina nulla præsumptio stat, nec etiam probavit aliquid contra Leontium, multò minus juramentum suppletorium ipsi deferri potest, quippe cùm, ut post

Bartol. in l. 3. cit. C. de reb. credit, notat Abb. in c. fin. S. sanè n. 8. de jure.

etiam casu, quo Actor præsumptionem pro se habet, probabilius actori juramentum suppletorium deferri nequeat, tum quia rei favorabiliores potius, quam Actores habentur.

1. favorabiliores 125. ff. de R. f. tum verò maximè, quia cùm juramentum hoc tantum semiplene probet, & Actor non semiplenam probationem, sed præsumptionem tantum pro se attulerit, plena probatio per juramentum non efficieretur. Accedit, quia in hoc casu, cùm Rufina prius extrajudicialiter Leontium innocentem coram testibus esse dixerit, mendacem fateri sese deberet, si nunc juramento contrarium affirmaret.

QUÆRITUR III.

Utrum non saltem Leontio juramentum purgationis deferri possit, vel debeat?

14. R Esp. non necessariò debere hoc juramenti ipsi deferri; quia, emendata sententia, contra ipsum latè (sicut ex dictis necessario emendari debet) pronuntiataque pro illo absolutionis sententia, hoc ipso cessabit infamia de imputato ipsi delicto, patetque, quòd indicia, contra ipsum ab actrice proposita, fuerint solum levia, & minime verisimilia, ex quibus orta suspicio infamiam nullam creat, quippe cùm iuxta tritum illud, vanæ voces populi non sint audienda. Quia tamen ex eo, quòd ali-

quis ad judicium ob crimen sibi imputatum vocatus, & per sententiam, licet emendatam, condemnatus fuerit, semper aliquid hæret, & macula saltem aliqua famæ illius inuritur, cuius integritas etiam opifici apud contribules suos necessaria est, potest omnino Leontio, præsertim si ipsemer ad hoc se offerat, juramentum purgationis deferri, cùm satius sit de delicto imputato purgatum aliquem esse, quam quomodo cumque manere suspectum. Conducet ergo hoc juramentum ipsi deferri, ut accusatus de crimine, ab isto sibi objecto facilius absolvatur, & declaretur innocens, sublataque infamia, quam ex accusatione passus est, in pristinum statum restituatur per textus

can. habet 6. can. Mennam 7. can. omnibus 19. caus. z. q. 5. c. ex tuarum 8. & c. inter 10. de purgat. can. & notant DD. cum Sylv. V. purgatio. n. 7. Begnud. V. eod. n. 8. Vall. ad tit. de Purg. Can. n. 8. Zoëf. n. 7. Pirhing n. 34. König n. 9. Sannig n. 6. Wiestn. n. 16. Reiffenstuel n. 17.

Conclusio controversiæ.

DICENDUM proin tmò male judicatum esse à Judice, & propterea sententiam ipsius esse emendandam, prout patet ex dictis ad quast. 1. Hanc verò emendandam 2. ex dictis ad quast. 2dam non esse per delatum Rufinæ juramentum, quippe sine quo Leontius absolví debet, saltem 3. post depositum ab ipso juramentum purgationis, ad quod juxta dicta num. præ. admitti Leontius potest. Imò 4. idem Leontius per textus

c. finem litibus 5. de dol. & contum c. ea. luminam 4. de pæn. §. ecce enim 1. in fin. inst. de pæn. temer. litig. aliisque.

à Rufina, tanquam temerè litigante petere refectionem expensarum propterea factarum potest.

CONSILIO LIII.

In causa controversi Canonicatus.

SUMMARIUM.

1. seqq. Fatti species.
 13. seqq. Rationes pro irregularitate incursa ex specie facti desumpta.
 16. Absolutio à censuris non favet ei, qui ejus petitionem conatus est impedire.
- R. P. Schmalzgruber Consilia.

17. Absolutio ab interdicto tangit totum corpus: absolutio à censuris afficit singulos.
18. seqq. Irregularitatem incurrisse arguitur, quæ censuras contempnit.
21. Sententia excommunicationis conditionatè late